

52. *Auctoritas Episcoporum quoad hospitalia & pia loca per hoc Edictum stabilita.*  
 53. *Edictum non extendendum ad casum quo contrarium in fundatione expresse est cautum.*  
 54. *Neque ad loca pia non religiosa.*  
 55. *Principum auctoritate semper salva.*  
 56. *Quae Regula in hac materia sint servanda?*



Postolos curam pauperum egisse; atque primos Christianos bona sua in alimoniam pauperum distribuenda ad pedes Apostolorum, ut per ipsos in pauperes dispenserentur, posuisse testatur S. Textus. *Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes offerbant pretia eorum quae vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem singulis prout cuique opus erat:* nimirum auctoritate Apostolorum.

II. Episcopi tamquam Apostolorum successores, etiam in curam & sollicitudinem pauperum successerunt; atque eo titulo specialiter Patres pauperum dicti fuerunt. Imò Synodus Trid. *sess. 23. c. 1. De Reformat.* latè clarè significat, Episcopis iure divino mandatum esse pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere.

Itaque eleemosynæ in pauperum alimoniam erogandæ; nec non loca pauperibus recipiendis ac curandis destinata; Episcopis tamquam spiritalibus pauperum Patribus concredita, eorumque curæ & regimini præcipue commissæ fuerunt.

III. Concilium Calchedonense *Can. 8.* Clerici in Prochois constituti sub potestate sint ejus qui in ea est civitate Episcopus, secundum traditionem sanctorum Patrum. nec per præsumptionem recedant à suo Episcopo. *Apud Gratianum can. 18. q. 2. Can. 10.* Sunt verò (ait Zonaras) Prochoia domus quæ pauperibus sustentandis, curandive destinatae sunt, quales, eæ videlicet, in quas aut pupilli, aut alii ætate variique morborum generibus confecti homines recipi & alii solent.

Itaque vult Canon, Clericos hujusmodi domibus sive hospitalibus præfectos sub potestate esse Episcoporum; ut nimirum regimini ac curæ rationem Episcopo exhibeant, & si defectuosi inveniuntur, ab ipso corrigantur.

Notandum autem, quod dicat Canon Clericos hos ita Episcopo debere subijci secundum Patrum traditionem; quo indicatur, hanc Episcoporum in similia loca sollicitudinem & superioritatem ex Patrum traditione descendere.

IV. Conformiter ad hunc Canonem & Patrum traditionem, Justinianus hospitalium & piorum locorum curam & rationem variis editis Constitutionibus detulit Episcopis.

V. Imprimis in *L. 42. §. 9. Cod. De Episcopis & Clericis.* decrevit ut nec xenodochus, nec nosocomus, nec prochorotrophus, nec orphanotrophus, nec brephotrophus, nec quisquis prochio præficiendus est, per talem fiat largitionem; sed per iudicium & probationem eorum qui in illis locis sunt, Deo amantissimorum Episcoporum.

VI. Ulterius in *L. 46. §. 3. Cod. eod.* vult ut ipsi quidem Episcopi per se hujusmodi locorum curam non agant, sed ea per Præfectos, puta xenodochos prochorotrophos & similes administrantur; at illorum administrationem inspiciant, & non rectè administrantes corrigant, imò & si mereantur expellant; idque etiam si hujusmodi præfecti ab ipsis Fundatoribus fuerint designati. Verba legis sunt: *Deo amabiles Episcopi, si quidem aliquos dixerit hi, qui defecerunt, præposuerint rebus (veluti Xenodochos, prochorotrophos, aut nosocomos,*

aut brephotrophos, aut orphanotrophos, aut geronotocomos, aut paramonarios, aut œconomos, aut similes, pliciter dicendo, piarum actionum administratores), illos quidem permittant habere administrationem; ipsi verò administrant quidem; sed administrationem illorum inspiciant aut observent; & rectè quidem habeant, aut laudent; in quibusdam autem aliquid prætergredientem corrigant; pessimam autem administrationem factam etiam eos expellant, & alios instituant.

VII. Quales autem instituendi sunt adjungit: *Qui cogitent & animo concipiant magni Dei timorem, & terribilem magni & nunquam finiendi iudicii diem, ad quem illos respicientes, convenit omnia facere cum ad Deum coordinata mente.*

VIII. Rursus in *L. 28. Cod. eod.* decernit, ut si testator aliquid in redemptionem captivorum reliquerit, & testator nullum specialiter designaverit per quem desiderat redemptionem fieri captivorum, sed si testator absolute tantummodo summam legati vel fideicommissi taxaverit, quæ debeat memoratæ causæ proficere, Vir Reverendissimus Episcopus illius civitatis, ex qua testor oritur, habeat facultatem exigendi, quod hujus rei gratia fuerit derelictum, pium defuncti propositum sine ulla cunctatione, ut convenit, impleturus.

Hinc concludunt Jurisconsulti, executorem legitimum testamenti ad piæ causas esse Episcopum. Vide *notam 22.* ad hanc legem in editione Corporis Civilis operæ & studio *Simonis van Leeuwen 1663.*

IX. Eadem cura ex Constitutione Justiniani in *L. 49. Cod. eod.* Episcopo incumbit, si quis solos captivos instituerit heredes; qui similiter, pauperibus institutis, erogabit bona in eos, quos testator designaverit; vel nullis ab eo designatis xenodochio civitatis; quod si plura sint, pauperiori: hoc videlicet discutiendo à viro reverendissimo locorum Antistite, & sub eo constitutis Clericis.

Hic per transennam nota, in administratione & erogatione piorum locorum Episcopum tractare debere cum suis Clericis.

X. Pergit deinde Justinianus: *Si autem nullus xenon in civitate inveniatur: tunc, secundum de capitivis sanctionem. pro tempore Oeconomus sacrosanctæ Ecclesiæ vel Episcopus hereditatem accipiat: & si ne Falcidiæ ratione pauperibus, qui in civitate sunt, vel penitus mendicantibus, vel aliâ sustentatione egenibus, eadem pecuniæ distribuatur.*

XI. Ut autem hæc charitatis & pietatis oblata etiam gratis ex charitate, sine spe temporalis lucri erogentur, sollicitè inculcat dicens: *In omnibus autem hujusmodi casibus cœlestes iracundias sacrosanctorum rerum administratores expectent, si qualescumque lucrum ex hujusmodi gubernationibus sibi met acquirerint, vel si hoc committi ab alio consenserint, & non gravissimam pœnâ, & interminationem, quod peperam factum est, studeant corrigere.*

XII. Quod si Episcopi negligentes fuerint in cogendis hereditibus ad solvenda pia legata, aut opus pium à testatore injunctum perficiendum, licentia erit, aut Metropolitanis Provinciæ, aut Archiepiscopo Diœceseos, hæc cognoscenti, inquirere & cogere, pium opus aut liberalitatem omnimodò impleri.

XIII. Hæc Justinianus in *L. 46. §. 6. Cod. eod.* addens: *Et cuicumque civium idem etiam facere licentia erit: cum sit enim communis pietatis ratio communes & populares decet etiam affectiones constitui harum rerum executionis: habituro unoquoque licentiam*

ex

ex nostra hac lege movere ex lege condititia, & postulare relicta adimpleri.

XIV. Utque efficacius heredes alique opere pio à testatore gravati ad executionem urgeantur, & hoc sancivit §. 7. *Ut si impediti à Deo amabilibus Episcopis, qui his rebus honorati sunt, postea cessaverint, seu distulerint, ita ut Præsidum exactio opus fuerit, contentim non solum ipsi simpliciter (quod dicitur) exigantur, sed omnimodò duplum.*

XV. Hactenus dicta manifestè significant, Episcopos piorum locorum, quin & omnium piorum legatorum esse saltem superintendentes; eorumque curam ipsis incumbere, tamen si laicos fundatores habeant; imò licet administratores & executores à fundatoribus sint specialiter designati, tamen ipsi Episcopi semper maneat Superintendentes, qui curent & invigilent, an omnia secundum testatorum & fundatorum voluntatem & mentem ritè adimpleantur; idque licet etiam testator in contrarium prohibuerit; uti declarat Justinianus in citata *Lege 46.* in principio.

XVI. Tempore S. Gregorii xenodochia fuisse sub directione ac cura Episcoporum, è multis Gregorii Epistolis est manifestissimum; ac notanter *Epist. 24. lib. 3.* in qua monet Januarium Episcopum Caralitum: *Ut tibi singulis quibusque temporibus rationes suas xenodochi, qui in eis sunt constituti vel fuerunt, subliter reddant.*

Hortatur insuper de rebus xenodochiorum summam curam gerere, *Ut nulli (ait) sine tua licentia dentur notitiæ, ne usque ad directionem earum ex Fraternitatis tue perveniat incuria.*

XVII. Ad Ludovicum Regem in Attiniaco Palatio consistentem scribunt anno 838 Episcopi Provinciae Remensis & Rothomagensis à Carisiaco Palatio quò convenerant: *Sed & Rectoribus Monasteriorum & Xenodochiorum, id est, Hospitalium, præcipite ut si, cur Canonica docet auctoritas, & Capitula avi & patris vestri præcipiunt, Episcopis propriis sint subiecti, & Monasteria atque Hospitalia sibi commissæ ipsorum tum regant consilio: quoniam Episcopi paternam sollicitudinem eis secundum ministerium illorum studebunt impendere.*

Integra Epistola habetur *tomo 2. Capitularium editionis Baluziana col. 102* & apud Labbæum *tomo 8. Concil. col. 654.* sub hoc titulo: *Epistola Episcoporum è Synodo apud Carisiacum missa ad Ludovicum Regem Germaniam.*

XVIII. Hæc Episcoporum auctoritas in Decretalibus Gregorii IX. quoque expressa habetur in *Cap. 3. De Religiosis Domibus:* *De xenodochiis & aliis similibus locis per sollicitudinem Episcoporum, in quorum Diœcesibus existunt, ad easdem utilitates, constituta sunt ordinentur.*

Refertur hæc Decretalis tamquam desumpta ex *Decretis Eugenii Papa;* sed desumpta apparet ex Synodo Romana anni 826 sub Eugenio II. *Can. 23.* uti notat Antonius Augustinus *lib. 2. Dialogorum de Emendatione Gratiani Dialog. 2.*

XIX. Interim ex hac Decretali concludunt Canonistæ, Episcopum fundare intentionem de jure communi, nisi super subjectione, administratione & ordinatione hospitalium & omnium piorum locorum suæ Diœcesis: *uti notat Fagnanus ad hanc Decretalem num. 2.*

XX. Porrò sicuti posterioribus seculis Monasteria se à jurisdictione Episcoporum sensim eximere & subtrahere ceperunt; ita quoque Fratres & Sorores Hospitalium præfecti; & Clerici qui illa in titulum Beneficii possidebant, ut liberius de illorum proventibus disponere possent, exemptionis privilegia impetrare studuerunt; atque hinc contigit, quod seculo 14. deploravit

Concilium Viennense; *quod xenodochiorum, leprosiarum, eleemosynarum, sed hospitalium rectorum, res, locorum ipsorum curâ postpositâ, bona, res & juramenta ipsorum interdum ab occupatorum & usurpatorum manibus excutere negligunt: quinimò ea collabi & deperdi, domus & ædificia ruinis deformari permittunt, & non attento, quod loca ipsa ad hoc fundata, & fidelium erogationibus dotata fuerunt, ut pauperes infectique leprâ reciperentur inibi, & ex proventibus sustentarentur illorum, id renuunt inhumaniter convertentes.*

XXI. Huic ergò abusu occurrere volens Concilium, injungit locorum Ordinariis, ut si Rectores hujusmodi locorum, negligentes fuerint, aut leges fundationis non servaverint, *etiam si pia loca prædicta exemptionis privilegio munita consistant, per seipsos vel per alios implere omnia præmissa & singula, & Rectores eosque, utique non exemptos propriâ exemptos verò & alios privilegiatos Apostolicâ ad id auctoritate compellant.* *Hactenus Concilium Viennense in Clem. 2. De Religiosis domibus.*

XXII. Hanc Clementinam iteratò renovavit Synodus Tridentina; ac imprimis *Sess. 7. cap. 15. De Reformat.* ait: *Curent Ordinarii, ut hospitalia quæcumque à suis administratoribus, quocumque illi nomine censeantur, etiam quomodolibet exemptis, fideliter & diligenter gubernentur, constitutionis Concilii Viennensis, quæ incipit, Quia contingit, formâ servatâ, quam quidem constitutionem eadem Sancta Synodus innovandam duxit, & innovat, cum derogationibus in ea contentis.*

XXIII. Post hæc Synodus Tridentina *Sess. 22. cap. 8. De Reformat.* dat Episcopis, etiam tamquam Sedis Apostolicæ Delegatis jus visitandi hujusmodi loca, tametsi exemptionis privilegio sint munita. Unde & monet Fagnanus loco citato *num. 4.* hodie exemptionum privilegia hisce piis locis non suffragari; utpote sublata (ait) à Concilio Tridentino.

XXIV. Addit insuper Synodus Tridentina: Episcopi habeant jus visitandi hospitalia aliaque pia loca, etiam si prædictorum locorum cura ad laicos pertineat; ac omnia, quæ ad Dei cultum aut animarum salutem, seu pauperes sustentandos instituta sunt, ipsi ex officio juxta factorum Canonum statuta cognoscant, & exequantur; non obstantibus quacumque consuetudine, etiam immemorabili, privilegio aut statuto.

XXV. Præterea de eadem Sessione *cap. 9.* decernitur, quod administratores tam Ecclesiastici, quam laici, hospitalium & quorumcumque piorum locorum, singulis annis teneantur reddere rationem administrationis Ordinario; consuetudinibus & privilegiis quibuscumque in contrarium sublatis.

XXVI. Quin & addit: *Quod si ex consuetudine aut privilegio, aut ex constitutione aliqua loci, aliis ad id deputatis ratio reddenda esset, tunc cum iis adhibeatur etiam Ordinarius: & aliter factæ liberationes dictis administratoribus minimè suffragentur.*

Hinc concludit Fagnanus ad *Cap. 4. De Religiosis domibus num. 40.* *Atque ita privilegium, consuetudo, aut constitutio, quibus alteri quàm Episcopo reddenda est ratio, non sunt quidem sublata à Concilio, sed modificata, ut locum habeant non privative ad Episcopum, sed cumulative Et ita (ait) rescriptis S. Congregatio ad S. memoriæ Cardinalem Borromæum sub die 7. Februarii 1575.*

XXVII. Denique Concilium Tridentinum *Sess. 25. cap. 8. De Reformat.* vult, *si hi qui administrationem hospitalium habent, etiam si laici sint, ab Ordinario moniti hospitalitatis munus, adhibitis omnibus, ad*

quæ



quæ tenentur necessariis, re ipsa obire cessaverint; non solum per Ecclesiasticas censuras, & alia juris remedia, ad id compelli possint; sed etiam hospitalis ipsius administratione, curæve perpetuo privari possint.

XXVIII. Ex his factis manifestum est, Synodum Tridentinam voluisse, saltem quantum temporum conditio, & jam recepta disciplina patiebantur, auctoritatem Episcoporum circa hospitalia aliaque pia loca restituere; atque ad primævum suum vigorem revocare.

XXIX. Verùm hæc Episcoporum auctoritas, sive cura & vigilantia, numquam excludit Regum & Principum in conservandis piis hæc foundationibus sollicitudinem & patrocinium; quin & semper Ecclesia ipsos Principes tamquam speciales pauperum & miserabilium patronos & protectores suscepit.

XXX. Inò jam pridem Xenodochia aliaque pia loca à Fundatoribus sub protectione Regia constituta fuisse testantur Patres Synodi Regiaticæ anno 850. *Can. 16.* unà rationem illius assignantes, & Principum obligationem: "Suggerendum est (inquiunt) beatissimis Imperatoribus quia hi, qui Monasteria & Synodochia sub defensione sacri Palatii posterunt, ideò fecisse probantur, quod à nullo melius quam à summis potentatibus protegenda crediderint: & si ea contra decreta institutorum personis quibus non licet dederint, ipsi impugnatores efficiuntur, qui propugnare debuerunt. Et cavendum summopere principibus, ut quæa minimè nunc judicantur, ne in futuro iudicio ab omnipotenti Deo gravius judicentur, secundum Apostolum: Etenim horrendum est, incidere in manus Dei viventis. Nos verò qui debitore sumus ut fideliter annuntiemus, idcirco humiliter suggerimus quod filere non audeamus."

XXXI. Similium hospitalium & priorum locorum sub speciali & immediata protectione Regum & Principum constitutorum meminit quoque Synodus Trid. *Sess. 22. cap. 8. De Reformat.* ubi declarans quod Episcopi habeant jus visitandi hospitalia, addit hanc limitationem: "Nos tamen quæ sub Regum immediata protectione sunt, sine eorum licentia."

XXXII. Dum hic Synodus loquitur de immediata Regum protectione, intelligi vult non generalem illam protectionem & tutelam, quam Principes promittunt & debent omnibus piis locis; sed de speciali & expressa protectione in quam quædam hospitalia, de singulari gratia Principis, & Fundatorum voluntate, recepta sunt.

Insuper intelligitur immediata protectio Regum sive Principum supremorum regalia in suis ditionibus possidentium, non autem Vasallorum tamen illi illi.

XXXIII. Si controversia incidat, an sub tali protectione hospitale existat, censuit S. Congregatio ejus cognitionem & definitionem, non ad secularem iudicem, sed ad Episcopum pertinere. Ad hanc resolutionem reflectens Zypæus in jure novo tit. De Religiosis domibus *num. 8.* ait: "Quod credo verum dum talis exceptio quasi incidit Episcopo ad visitationem talis hospitalis se accingenti, opponitur; alioquin ut plenis velis ea cognitio ad Ecclesiasticos iudices devolvatur, cum de ipso Principum privilegio agatur, apud supremos Principes haud facile obtinebitur."

XXXIV. Dicit insuper Zypæus ibidem *num. 16.* quod Rege cavere volente, ne per visitationem Episcopalem aliquid præjudicii in suo jure pateretur, "in principio publicationis Concilii Tridentini consuetum esset Episcopis regium assensum petentibus ad loca hujusmodi visitanda adjungi Consiliarium quemdam Regium, qui antea adverteret, ne quid ex fundatione perverteretur."

XXXV. Insuper ex *Canone 15.* citatæ Synodi Regiaticæ patet, quod Xenodochia sive hospitalia quædam ex voluntate Fundatorum per heredes regerentur; ita tamen ut Episcopus retineret superintendentiam, ut nihil ab ipsis negligetur, & negligentes punire posset. Verba Synodi sunt: "Quæ autem sub defensione quidem sunt Ecclesiæ, sed juxta Institutorem decreta per heredes, vel pertinentes, qui religiosam vitam duxerint, regi debent, procuret Episcopus, ut ab eis non negligantur: & si in aliquo malæ tractationis obnoxii reperiuntur, Ecclesiasticæ subiaceant disciplinae."

Itaque jam pridem persuasum fuit, jus laicorum administrandi & gubernandi hospitalia non excludere auctoritatem Episcoporum in eisdem locis superintendendi quod & ipsa Trid. Synodus *Sess. 22. cap. 8. De Reformat.* etiam supposuit, declarans quod Episcopi habeant jus visitandi hospitalia, etiam si eorum cura ad laicos pertineat. Et *cap. 9.* vult, ut si ratio reddenda sit coram aliis ad id deputatis, tunc cum iis etiam adhibeatur Ordinarius.

XXXVI. Supponit nihilominus & ipsa Synodus Tridentina citato *cap. 9.* hospitale ita posse fundari, ut Episcopus à computo excludatur. Volens enim ut administratores rationem administrationis singulis annis teneantur reddere, adjungit hanc limitationem: "Nisi scius, eius forte in institutione & ordinatione talis Ecclesiæ, seu fabricæ expressè cautum esset."

XXXVII. Posse quoque Episcopum excludi per legem fundationi appositam à jure visitandi; neque huic legi per Synodum Tridentinam esse derogatum, tamquam indubitatum tradit Fagnanus ad *Cap. 4. De Donis Religiosis num. 44.* & ita quoque respondisse S. Congregationem testatur.

XXXVIII. Insuper hospitale privatæ laicorum auctoritate erectum, cum non sit locus religiosus; sed merè laicalis, etiam ab auctoritate Episcopi, saltem quoad jus visitandi exemptum esse notat Fagnanus *num. 5.* idque non tantum jure communi; sed etiam Concilii Tridentini. Nam et si Concilium *Sess. 22. cap. 8. De Reformat.* statuat, "Episcopi habeant jus visitandi omnia pia loca, etiam si eorum cura ad laicos pertineat; tamen ibi adjungitur hæc verba, in casibus à JURE expressis, nec non illa, juxta sacrorum Canonum statuta, quæ restringunt dispositionem ad limites juris communis. Unde sicut loca pia non religiosa seu non Ecclesiastica non subiant Episcopo de jure communi; ita nec post Concilium Tridentinum."

XXXIX. Si jus commune spectemus, etiam quoad rationes administrationis exigendas, Episcopi auctoritas circa hæc loca non religiosa & merè laicalia exclusiva est; ut ibidem *num. 57.* notat Fagnanus; sed ex Decreto Concilii Tridentini *Sess. 22. cap. 9. De Reformat.* auctoritatem Episcopi in exigendis rationibus administrationis ad hæc loca etiam extendi credit. "Nam (ait) Decretum illud non restringitur ad casus in jure expressos, sicut restringitur *caput 8.* immediate præcedens quoad jus visitandi; sed loquitur generaliter & indistinctè, & excipit tantummodo casum, eum in fundatione expresse cautum est ut Episcopus non possit exigere rationes administrationis."

Hæc Fagnanus, qui conformiter sæpius à S. Congregatione, & notanter S. Carolo Borromeo responsum fuisse asserit.

XL. Dum hic Concilium Tridentinum esset promulgandum, nonnulla circa ejus Decreta administrationem hospitalium aliorumque piorum locorum concernentia à Regis Magistratibus notata fuerunt.

Et quidem ad *cap. 15. Sess. 7.* quo dicitur, "Curent Ord-

Ordinarij ut hospitalia quæcumque à suis administratoribus quomodolibet exemptis fideliter & diligenter gubernentur, cuncti annotarunt, ab omni ævo administrationem hospitalium ad curam Magistratum pertinuisse; idque esse consentaneum ipsis foundationibus; mutationem hanc fore populo turbando & avertendo ab augendis hujusmodi piis foundationibus.

XXI. Ita refert Anselmo in suo Triboniano Belgico *cap. 32. §. 15.* qui rursus §. 29. dicit ad *caput 8. Sess. 22.* quo Episcopi constituunt omnium piarum dispositionum, tam in ultima voluntate, quam inter vivos executores, & visitatores hospitalium, collegiorum quorumcumque etiam laicorum, nisi sint sub immediata Regum protectione, has notas esse appositas: "Plerique utrumque articulum à moribus nostris alienum esse, ac non recipiendum monent: Brabantii hic etiam Concordatis quæ de utraque re cum Episcopis pepigerunt insistentem contendunt, in quibus neque Episcopi habentur pro executoribus piarum dispositionum, & laici administratores hospitalium aut aliorum piorum locorum superioribus suis secularibus subjiciuntur, cum quodam tamen temperamento in casum negligentia."

XXII. Nequaquam obscurum uti etiam notat Anselmo, quod ad has notas reflexerit Margareta Parmensis Regii tunc temporis Belgii Gubernatrix per clausulam generalem in litteris ad Archiepiscopum Cameracensem inferat, qua asserit, publicationem Concilii Tridentini faciendam salvis juribus & prærogativis suæ Majestatis suorumque vasallorum: ac nominatim circa superintendentiam & administrationem hospitalium & aliorum piorum locorum: Non (ait) ad contraveniendum dicto Concilio, sed ut executio accommodetur naturæ cujusque Provinciae. Zypæus in Jure novo tit. De Constitutione *num. 6.*

XXIII. In Concordatis inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem (quorum meminere Brabantii in allegata nota) *tit. 3. §. 11.* cautum fuit: "Si Rectores hospitalium, Xenodochiorum aut aliorum piorum locorum administratores laici fuerint & laicis instituti, rationes administrationum suarum reddere cogentur coram superioribus suis, vocato ad hoc Curato si resideat, & in absentia ejus vice Curato, vel Vicario perpetuo residente, ut si voluerit, interfit, absque quod Decanus foraneus, vel Christianitatis, aut alius Commisarius per Episcopum deputandus, necessario vocari aut interesse debeat."

XXIV. Deinde §. 12. ulterius statuitur: "Institutio verò, vel destitutio, vel correctio talium administratorum, ad eosdem superiores laicos pertinebit, qui si negligent fuerint in exactione rationum, aut correctio, ne delinquentium post monitionem per Episcopum, eis legitime factam, eorum negligentiam poterit Episcopus supplere, rationes, reliqua, & computum administrationum exigendo, puniendo, vel destituendo delinquentes, pro illa vice."

XXV. Post hæc subjungit: "Si verò administratores prædicti omnes, vel pro eorum majori parte, Ecclesiastici fuerint, rationum exactio, institutio, vel destitutio rectorum, ad Episcopum spectabit."

XXVI. Hæc ostendunt, jam pridem in Belgio fuisse hospitalia aliaque pia loca, quorum administratio & regimen essent penes laicos; quibus jus esset administratores instituendi & destituendi; & rationes administrationis excipiendi; ita tamen ut Curatus loci ad audiendas rationes vocaretur; non autem Decanus ruralis aliusve Episcopi Commisarius; salva dumtaxat auctoritate Episcoporum in casum negligentia ipsorum laicorum.

XXVII. His laicorum prærogativis non præjudicare

credidere Principes nostri, si & Episcoporum & superintendentiam quamdam circa regimen & administrationem haberent; atque unà cum his laicis superintendentibus ad rectam hospitalium administrationem concurrerent; imò & hanc simultaneam vigilantiam posse contribuere ad ipsorum hospitalium conservacionem judicantur.

XXVIII. Hinc & principes nostri etiam ad hospitalium curam unà cum laicis superintendentibus admitti voluerunt Episcopos; uti ex eorum Edictis editis post Concilii Tridentini publicationem in Belgio factam, constat.

Philippus II. in Edicto ad Synodum Cameracensem *art. 13. & 14.* voluit, ut in computo piorum locorum præfens sit, & vocetur Curatus loci, vel alius ab Episcopo, si ita ipsi visum fuerit, deputandus; sine tamen expensis istorum locorum, & sine præjudicio juris & auctoritatis regis, & particularium Troparchatum. Idque, uti in præfatio significat, uti bona piorum locorum melius impendantur, & fundationes conserventur. Verba utriusque articuli sunt: "Et à fin que les biens des fabriques d'Eglises, & d'autres lieux pieux soient bien employez, & les fondations entretenues comme il appartient; Voulois que par tout à l'audition des comptes du bien desdites fabriques des Eglises soit present, & appelé le Curé du lieu, ou bien que l'Evêque y envoie quelque autre sien député; quant pour quelque cause il estimera cela expedient, moyennant que ce soit sans aucuns fraix de ladite fabrique, & sans prejudice de nos droits & auctoritez, ou des Seigneurs particuliers des lieux."

Comme aussi ledit Curé pourra de la part de l'Evêque estre present à l'audition des comptes des hospitaux, Maladreries, Maisons d'Orphelins, Escoles, & autres lieux pieux des Villages; Pourveu que ce soit sans fraix & charge desdites maisons, & sans prejudice comme dessus. Id est. Ut bona spectantia ad Ecclesiasticum Fabricam, aliaque piarum Foundationum loca bene collocentur ipsaque fundationes, prout oportet factæ rectæque serventur. Volumus, ut ubique Parochus loci ad computum exhibitionem vocetur, eique interfit, aut ut ipse Episcopus, si ob rationes id expedire judicaverit, alium quemdam suum Deputatum eo destinet. sic tamen ut sine gravamine dictæ Fabricæ id fiat, & sine detrimento juris & auctoritatis nostræ aut particularis cujusvis loci Toparchæ.

Prout & dictus parochus nomine Episcopi interesse poterit exhibitioni computum Xenodochiorum, Nosocomiorum, Orphanotrophiorum, Scholarum, aliarumque in Pagis piarum Foundationum, modò dictæ Fundationes per hoc nullo sumptu graventur & sine detrimento ut supra.

XXIX. Post hæc Principes nostri Albertus & Isabella in Edicto anni 1608 ad Synodum Mechliniensem *art. 23.* agnoscunt ipsis Episcopis ex Sacrorum Canonum præscripto jus invigilandi piis foundationibus incumbere; dicuntque se confidere, quod Episcopi ut obligationi huic satisficerent, sedulo cum ipsis Principibus ad conservacionem illarum foundationum concurrerent. Hinc statuant imprimis, ut in omnibus civitatibus & pagis aliisque locis suarum respectivè Diocesium, Episcopi per se vel suos ad id Deputatos, cum interventione Patroni fundacionis, si sit, vel aliorum qui intervenire hæc consueverunt, vel alias primarii Officiarii loci, præfigant singulis annis certum diem quo receptores piarum fundacionum rationes reddant.

L. Deinde *art. 24.* declarant mentem suam esse, quod in excipiendis hæc computibus, præter illos qui hucusque soliti fuerunt interesse, sive nomine ipsorum Principum, sive Vasallorum, conformiter ad citatum Edictum Philippi II. ad Synodum Cameracensem, inter-